



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Haereticis & Schismaticis in genere, cap. 37.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

est: Illi enim non separant animam & diuinitatē Christi à corpore & sanguine eius in Sacramento, vt ipse facit, non negant septem sacramenta, non reprobant bonorum operum merita, non dant uxores Episcopis, presbyteris, Diaconis & Monachis, vt facit impurissimus iste Epicurus, imò Iouinianus Vvittembergensis. Qua igitur fronte stabis à parte eius, vel in Concilio, vel in Senatu Imperiali? quem Husitæ quoque, & Pighardi, velut impurissimum Idolum Moloch, & obscœnissimum ventris animal, cucullatūque Priapum fugiunt, detestantur, condemnant? Memento semel (Illust. Princeps) quàm miserè sis ab eo deceptus, vnde excideris, vt redeas agāsque pœnitentiam, ac prima opera facias, ne candelabrum tuum moueatur de loco suo.

## De Hæreticis & Schismaticis in genere.

### CAPVT XXXVII.

**A**V disti iam (Illust. Princ.) quæ charos habeat Lutherus Pighardos, quos totus orbis (vt ipse-met ait) pestilentissimos vocat hæreticos, licet ab illis nullis laudibus, aut blanditiis impetrare potuerit, vt doctrinā, aut sectā eius approbent, aut recipiant. Quod & à Senatu Pragēsi nullis vel scripturis & suasionibus, vel

M

DE HÆRETICIS

adulationibus laudumque blandimentis exorare aut consequi potuit, licet Christianissimus Princeps, FERDINANDVS, eo tempore nondum esset Bohemis à Deo Rex datus. Tantum abest, vt nunc sub hoc Rege (qui Luthericam & perfidiam & impuritatem maximè detestatur & odit) quicquid à Bohemis sperare possit. Nam nec ipse quidem maliciam ignominiamque suam reticere potest: quippe qui publicè gloriatur, se Hussio longè peiorem esse. Non rectè faciunt (inquit in Assertione) qui me Hussitã vocant: Non enim mecum ille sentit, sed si ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus sum: cum ille longè minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire. Sed audi breuiter (Illustrissime Princeps) quàm pulchrè hæreticus iste proprio (vt ait Apostolus) iudicio seipsum condemnet. In X. præceptis grauissimè omnium peccat ij (inquit) cõtra octauum præceptũ, qui scripturam sanctã & verbum dei peruertunt, & falsè exponunt, vel aptant non rectè. De quibus sunt Hæretici & Monij singulares, q̄ Dei verba suis sensibus aptant, & in sui obsequium captiuant, cum deberent contrã, & hoc in iis quæ pertinent ad fidem & salutem. Hoc tã magnum peccatum reputatur apud Deum, vt nullum aliud in scripturis frequētius acriusque arguatur per omnes figuras & prophetias. Dico ergo (inquit) nunquid exeusentur, cū faciant id pia intentione & zelo Dei? Sic enim sese hæretici so-

*In assertio.  
art. 30.*

*Tit. 3.  
De X. præceptis.  
cap. 8.  
Tit. 3.*

lent excusare, vt nostri vicini Pighardi Bohemix. Respondetur, quòd non, imò eò magis accusantur, quia ex superbia procedit iste zelus, quòd doceri nolunt & audire, sui ipsius magistri facti. Vnde Roma. X. Testimonium perhibeo illis, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Et Galat. quarto. Quicumque vos perturbat, iudicium suum portabit. Et cap. j. Qui aliud Euangelizauerit, Anathema sit &c. Tales enim habent bonum zelum, sed non timent, sunt enim de tali zelo securi quasi non errent. Quibus respondetur, quòd habent pessimam voluntatem & venenosissimam intètionem. Vera enim bona intentio, & radicaliter bona volùtas, nunquã stat secura & sine timore. Veretur enim omnia opera sua, cù Iob, imò verba & cogitata. Idèò nulli adheret bonæ suæ voluntati & piæ intentioni, semper paratior aliis cædere, quàm sibi credere, quantũcũque speciosissima sua sit intentio. Quo timore fit, vt nihil noui molitur, seruet vnitatem, custodiat pacem, & augeat cõcordiã. Sed scripsit hæc Lutherus, priusquàm vel à se ipso haberetur, vel à Papa declararetur hæreticus. Audi nunc aliam eiusdem contra seipsum sententiam, posteaquẽ scripsit se decies magis Hæreticum esse, quàm Hufs fuit. Hæc sanè sunt verba eius in libro primo nuper contra Suermeros suos. Solum Dei verbi (inquit) *In lib. i. cõtra Zuing. & Oecob.* manet in æternum, Circa quod errores semper oriantur & occidunt. Idcirco non timeo, hæc

DE HÆRETICIS.

Suermeritatem diu subsistere, nec vllam habeo spem, vt autor alicuius vel Suermeritatis conuertatur. Nunquam adhuc auditum est, vt is conuersus fuerit, qui falsæ doctrinæ autor extitit. Tale enim peccatum nimis grande est, dum blasphematur verbum Dei, & peccat in Spiritum Sanctum. Ideo Deus permittit obstinationem, vt fiat iuxta vaticinationem Esaiæ VI. Videntibus oculis non videbitis, & audientibus auribus, non audietis: Cor enim populi huius induratum est. Christus nullum conuertit sacerdotem magnum, licet cōuertentur eorum discipuli, vt Nicodemus, Ioseph, Paulus & similes Antiqui prophetæ nullum Pseudoprophetam conuerterunt. Neque Paulus vllum Pseudoapostolum conuertere potuit, sed docebat: Si quis bis, aut ter admonitus esset, vt vitaretur & dimitteretur velut peruersus, ita & sancti Doctores nullum hactenus hæresiarcham conuerterunt. Non ideo sanè, quod hi illorum errores non sufficienter conuicissent, sed quia cor eorum erat possessum propria opinione, & contingebat eis sicut contingere solet ei, qui perspicit per vitrum depictum. Quicquid enim colorum proponatur, non alium videbit iste colorem, quàm habet vitrum eius. Hæc est igitur causa (inquit) quod huiusmodi homines conuerti non possunt. Quia non faciet hoc ostensa veritas, sed oportet, vt Deus depictum vitrum auferat, hoc facere nos non

possumus. Hæc ibi. Intelligenti autem satis dictum est. Toties enim conuictus est ( Illust. Princeps ) Lutherus tuus, vt pudor sit maximus, apud nos Germanos adhuc dubitari. Quid enim omissum est ab Anglis, Francis & Italis, atque etiam à Germanorum complurimis? Quid profecerunt hactenus dogmata eius? nonne & à suis iam partim contemnitur, partim deseritur atque etiam impugnetur? Quo abierunt vanissimæ eius iactentiæ? O te miserum & obstinatum in malo, si nondum incipis cogitare nouissima.

## De caussis Matrimonialibus.

## CAPVT XXXVIII.

**Q**uod Matrimoniũ negauit sacramentum esse Lutherus, nunquã æquo (arbitror) tulisset animo Laicus, nisi ab eo ad seditionem vsque cruentissimam oppugnatus esset clerus. Quis enim nostrũ adhuc hodie apud Laicos tutò dicere possit ( quod ille publicè dixit & scripsit ) non minus infidelium quàm fidelium vera esse Matrimonia? Et cum apud fideles quoque impij sint coniuges, quibusuis gentibus peiores. Cur hinc sacramentum dici debeat, & non apud Gentiles? Et tamen idem ipse semel dicit Matrimoniũ diuinitus institutum esse. Et in quodam sermone pulchrè, probat ex Paulo Ephe. 5.

*In Cap. Ba**bylo. cap. de**Matrimon.**In sermo. de**Matrimon.**Anno 19.*